

Carolomagnum, postquam a Volferio^a archiepiscopo eiusdem restaurata fuit.

(1). Anno ab incarnatione Domini 790. industria et laboribus venerabilis viri domini Volferii archiepiscopi restaurata est ecclesia Viennensis et quasi de novo fundata rebus et personis, piissimi imperatoris Caroli Magni beneficentia et autoritate. Hic enim claustrum et habitationes praesulis, canonicorum atque clericorum circa ecclesiam disposuit, hic modum et rationem vivendi ac Deo serviendi statuit, statuta et ordinationes plurimas fecit, quibus ecclesia ipsa post lapsum eiusdem maxime decorata fuit.

(2). Statutum. In sancta igitur Viennensi ecclesia, quae constructa et dedicata est a priscis temporibus in honorem Dei, salvatoris nostri Iesu Christi, sanctorum Machabaeorum et s. Mauritii cum sociis suis legionis Thebeae infra urbis moenia, sicut ab institutione sanctorum patrum praedecessorum extitit observatum, per canonicos et clericos saeculares^b sic Deo abhinc perpetuis temporibus laudabiliter serviatur^c. Qui quidem capitulum et collegium faciant, infra aecclesiam ac terminos eiusdem habitum canonicalem portantes.

(3). De habitu. Habitus eorundem canonicorum et clericorum erit superpellicium de tela alba cum magnis et latis manicis, sine quo^d numquam erunt in ecclesia. A festo s. Martini¹ usque ad Pascha portabunt cappas nigras super pellicium et a Pascha usque ad festum Omnium Sanctorum² portabunt superpellicium sine cappa et in capite capitium^e de griso, quem vulgariter almutium vocant, clerici vero de inferiori choro capite nudo incedant, videlicet^f maiores, minores vero clerici continue tam infra quam extra ecclesiam incedant capite nudo.

(4). De dignitatibus, personatibus et officiis ecclesiae. Erit autem capitulum unum, archiepiscopus, decanus et canonici facientes capitulum, caeteri vero collegium, eruntque omnes incorporati perpetui in dicta ecclesia, et erit numerus eorum scilicet^g canonicorum sexaginta, praebiterorum centum, diaconorum viginti^h, subdiaconorum viginti^h, clericorum formariorumⁱ quadra-

a) 'Volferio' c. b) bis scriptum c. c) 'servatur' c. d) 'qua' c.
 e) 'capillum' c. f) 'videlisset' c. g) 'scilisset' c. h) 'viginti' c.
 i) 'formeriorum' c.

1) 11. November.

2) 1. November.